



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &  
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &  
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

**Tympe, Matthäus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1650**

XIV. Christianos civili Magistratui subjectos esse debere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39028**



avocavit, sed eo flagrantiori ferventiori; studio partibus suis satisfacit, quo plures sibi difficultates imminere adverteret.

*Tertio commendabis ipsum ab inaudita animi constantia & fortitudine.* Legitur Proconsulem in signi crudelitate, absque ulla trepidatione hunc in modum aggressus: *Recognosce, o Iudex hominum, adhuc in calis versari iudicem: cognitum colas, & colendo eum, qui verus Deus est, animum à falsis diis revoces.* Constante & intrepidè minas tyranni sprevit, magna cum fortitudine fidei suæ testimonium dedit, cum in patibulo crucis vivus non solum pendere tribus diebus non recusavit, sed etiam ab eo se liberari non permisit. Hic commenda Dei bonitatem, quod permisit vivum Apostolum pendere, quò, viso hoc miraculo, plures & fidem, & servitum Dei amplecterentur.

*EPILOGUS incitabit Auditores ad virtutum D. Andreae æmulationem.*

#### XIV. CHRISTIANOS CIVILI MAGISTRATUI SUBJECTOS ESSE DEBERE.

**E**XORDIUM à causa impulsiva: quòd quidam Catholicæ religionis hostes perfricta fronte & impudenti suore publicè docere & scriptis edere audeant, Christianos civili Magistratui non esse subjectos, sed esse omnes Reges & Sacerdotes.

**PROPOSITIO:** Proinde re probaturum omninò eos civili Magistratui obedientiam debere.

**CONFIRMATIONIS. I. RATIO à causa & auctoritate Magistratus qui est Deus: omnis enim potestas à Deo est, ut docui fusè in Spec. Mag. signo. 139.**

**II. ab officio hominis Christiani, Quod est, Christum audire, & mandata ejus exequi: at Christus disertè præcipit, ut Casari demus, quæ sunt Casaris, & ipse didrachma dedit pro se & Petro, & Magistratui**



stratui obedientiam præstitit. Dedit, inquam, *didrachma*, ut nemini esset scandalo, quamvis soli alieni eius solutione tenerentur. *Amplifica hæc collatione imparium*: Quòd si Christus & discipuli eius hoc imperarunt, & obseruarunt, cum Magistratus civilis adhuc Ethnicus erat, & idololatriæ crimine contaminatus: quanto magis nunc ei obtemperabimus, cum ipse fidei lumine illustratus est?

III. *à pari*: Quemadmodum parentes nobis honorandi sunt, sic & Magistratus: nam & hi in quarto decalogi præcepto nomine parentum intelliguntur.

IV. *Ab utili*: qui Magistratui se submitunt, eis iudicito præcepto quarto divina promittitur benedictio. (runt.

V. *à contrario*: præfracti sibi damnationem acqui-

*In COMPARATIONE dices*, quosdam malè in depravatùm sensum urgerè illud II. Petr. 2. *Vos genus electum, regale Sacerdotium*, cum eodem in capite, non longè post dicatur: *Subiecti estote omni humana creatura*. Unde patet, Petrum nequaquam ita eos Reges & Sacerdotes statuere, ut nulli magistratui subsint: sed spirituales potius, ut se ac suos affectus regant.

*In CONCLUSIONE cohortaberis Christianos*, ut libenter Magistratum suum agnoscant, & debito honore afficiant.

### XV. DE GRATITVDINE.

*IN EXORDIO dices*: Crebrò iis de rebus apud ingenuarum artium studiosos sermonem esse habendum, quæ hominum Deique immortalis benevolentiam nobis fauoremque concilia-  
ant.

*In PROPOSITIONE*. Cum igitur inter alias

*Pars III.*

C

vix-